

ORATIO

II f
1462

DE PERVERSO CALV-

MNIÆ VITIO, QVOD DELIRA

& effœta hac Mundi senect̃a in omnes gene-
ris humani societates valde grassatur,

scripta

à

M. CAROLO GEORGIO BAN-
gio, Dano.

Gregorius.

Est & alia miseria in humanis, summum, inquam, hoc malum,
CALVMNIA, quæ sapientum maximè animabus insidiatur, genero-
sam ac densam illam virtutum syluam extirpare molitur.



WITEBERGAE
Excusa typis Simonis Grönenbergii

M. D. XCVI.





MAGNIFICIS ET CLARIS-
SIMIS VIRIS, NOBILITATE,
pietate & doctrina amplissimis, rerum usu & au-
toritate spectatissimis, Dominis PRÆLATIS &
Canonicis Lundensibus, Dominis & Me-
cœnatibus suis, perpetua obseruan-
tia colendis;

*Hanc oratiunculam consecrat
& dedicat*

M. CAROLVS GEORGIUS
Bangius, Danus.

ORATIO
DE CALVMNIA.

SI homo ineffabilem illam & stupendam dignitatem atque gloriam, ad quam à præpotenti Deo, rerum omnium opifice, initio conditus est, quantæque post protoplastorum lapsum in natura humana contigerit μεταβολή, quantisque miserijs & infortunij telis expositus sit, accuratiùs ponderaret & meditaretur: non sine gemitibus, ex imis cordis thalamis petitis, & amara doloris eiulatione clarissimū Solis lumen & admirandum Mundi theatrum aspiceret. Extra controversiam est, hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum esse, ut Paulus ad Eph. perhibet: Vnde sanè hominis non vulgaris & abiecta quædam, sed veneranda, & ab omnibus animantis formidanda excellentia effulget. Quid queso præstantius, quid incūdius, quid venustius de homine dici potest, quàm hominem cum suo Architecto in iustitia & veritate, in anima & omnibus corporis viribus & facultatibus veræ libertati, immortalitati, & rerum omnium dominio coniunctis residentibus convenisse? Sed ubi nunc augustis-

ORATIO

sima illa Dei imago? insidiis & astu infensissimi
 nostri aduersarij, diaboli nempe, atque primorum
 nostrorum parentum in Deū inobedientia proh do-
 lor ita deformata est & contemerala: ut vix vesti-
 gium eius in natura hominis relictum sit, ita ut
 ubi prius illustris Dei notitia in intellectu viguit,
 in eius locum cœcitas & turpis Dei ignorantia suc-
 cesserunt: ubi prius promptissima erga Deum &
 eius sanctissimam legem obedientia, ibi nunc
 inobedientia & omnium virium detestanda ^{αυθάρτε}
 dominatur. Dolenda sanè, multisque lachrymis
 deploranda horribilis hac & tristissima in prestanti
 hac creatura pretiosorum donorum Dei amissio &
^{αυτάρξαξις} tamque effusa, & ad quodvis malum ex
 carnis infirmitate & satana suggestione patran-
 dum propensa voluntas: Vnde manifestum eva-
 dit, nos non uni, sed innumeris discriminibus &
^{παθίμασι} dum in hac terrenorum hominum societate
 vivimus, obiectos esse, acerbissimis miseriis in-
 tricari, perversi Mundi persecutiones & illusiones
 subire, pravis cogitationib. implicare. Insuper dia-
 boli insidias & nefarios insultus ad extremū vitæ
 halitum perferre cogimur, qui haud vno momento
 nos

nostentare, & ad quævis flagitia in Conditoris no-
 stri turpitudinem, propriamque perditionem im- 1. Pet. 5.
 pellere, intermittit: sed tanquam Leo rugiens ob-
 errat, queritans, quem capere, suisque offucijs ir-
 retire & inescare valeat. Proque hominis natura
 hunc ad idolatriam & impium Dei contemptum,
 illum ad ἀπειθήματα & insolentem adversus progeni-
 tores & magistrum fremitum, alium ad inconti-
 nentes flagitiosarum libidinum flammæ, alium ad
 obscænas voluptatis illecebras, alium ad insanas
 & sanguineas altercationes, alium ad simultates
 & implacabile odium, alium ad turgidam animi
 elationem & stultam ambitionem, alium ad im-
 moderatam cibi potusque ingurgitationem, alium
 ad fraudulentam rerum alienarum suppilatio-
 nem, alium denique ad impudens mendacium &
 subdolam Calumniam stimulare & inflammare
 conatur. Quæ quidem vitia, hac Mundi senescentis
 canitie, vitiorumque cæno obruta, adeo frequentia
 & in quovis vico celebria sunt: ut non vitia, sed
 virtutes censeantur. Luctu ergo potius, quàm cala-
 mo excipienda, & deploranda magis, quàm decan-
 tanda reor. Quorum tamen ultima inter comme-

morata, Calumnia nempe, atrocissimi hostis nostri
foetus, humanique generis pestis tristissima, qua hoc
nostro exulceratissimo seculo valde grassatur, &
optimos quosq; venenatis suis spiculis impetit, mihi
aliquando ansam de se verba faciendi praebens, à
me, aspirante diuina clementia, pro ingenij tenui-
tate, & temporis huius ratione, ex sua natura &
idiotie describetur, ut eius cognita & perspecta
improbitate, eam tanquam periculosissimam
Charybdin, in qua non rei, sed salutis & spei ia-
cturam facere possumus, commodius & diligentius
fugiamus. A vobis, humanissimi auditores, submissè
contendam, ut mihi de rebus grauibus dicenti exi-
gui temporis usuram largiri & benignis auribus au-
dire dignemini: Omnipotentem Deum Patrem Do-
mini nostri IESU CHRISTI intimis suspirijs oro,
ut huic inchoata tela, conatuque Spiritu suo san-
cto adesse dignetur.

De calumnia verba mihi facturo occurrit egre-
gium illud & lectu dignissimum Diui Iacobi cap.
tertium, in quo de bonis & malis, quae à lingua, tan-
quam scaturigine, promanant, disserit, omnibusq;
pijs misericordia Dei in filios per Christum ado-
ptatis, ad vitam sanctitatem electis, per Euangeli-
um

um ad regnum Christi vocatis, Christo per bap-
tismum implantatis, remissione peccatorum per
eiusdem ^{λύτρον} donatis, autor est, ut linguam suam
compescant, calumniam, mendacium & alios te-
merarios ausus, ad crebram iram Deum irritan-
tes, proximum offendentes, veneni & pestis instar,
vitent. Quod ut facilius impetret, omnesque in
suā sententiam pertrahat: similitudines aliquas,
quibus commoveamur, ab animatis & inanimatis
rebus ductas, in medium proponit. Ecce, inquit,
equis frena in ora mittimus, ut pareāt nobis, &
totum corpus illorum agitamus: Ecce naues cum
magna sint, & à ventis validis moveantur; cir-
cumaguntur à minimo gubernaculo, quocunque
impetus dirigentis voluerit: ita quoque & lingua
modicum quidem membrum est, & magna efficit.
Ecce exiguus ignis quā magnam sylvam incen-
dit, & lingua velut ignis est & summa iniquita-
tis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ
maculat totum corpus, & inflamat rotam nati-
uitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis enim
natura bestiarum & volucrum & serpentum &
ceterorum domatur, & domita est à natura hu-
mana: Linguam autem nullus hominum domare
potest: malum, quod coërcere non potest, plenum est

veneno mortifero. Per ipsam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam hominibus maledicimus, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt, ex eodem fonte procedit benedictio & maledictio.

Quibus Apostolus innuit, solummodo hoc instrumento omnes humani generis societates regi & gubernari. Hoc salutaris DEI doctrina in Ecclesia docetur & propagatur, hoc mendacia hereticorum schismata disseminantur, hoc Deus invocatur & celebratur, hoc peccatorum remissio annuntiatur, hoc iuventus in humanioribus literis & bonis moribus instituitur, hoc vota fiunt, hoc infaustra voces iactantur, hoc leges figuntur & refiguntur, hoc caussa euentilantur, hoc consilia communicantur, & ut uno verbo dicam, hoc omnia negotia, commoda & incommoda demandantur & expediuntur. Et Salomon linguam ^{וּשְׂפָתַי} ^{וּשְׂפָתַי} quo plurima mala creantur, agnoscens, eam refrenandam docet: Qui custodit os suum & linguam suam: custodit ab angustiis animam suam. Et Ecclesiastes inquit: Aurum tuum & argentum tuum conflat & verbis tuis facito stateram & frenos ori tuo rectos, & attende, ne forte labaris in lingua, & cadas

Cap. 21
& 28.

DE CALUMNIA.

cadas in conspectu inimicorū insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. Verūm ut quantum sit malum calumnia, exactius cognoscamus: definitionem eius, quæ rei naturam ex causis & effectis perspicua quadam rotunditate explanare solet, subiungam. Deinde, quā gravis sit Calumnia morsus, ostendam. Tertio sententias, dictas & exempla ex Theologia & Philosophia penus deprompta, ab hoc nos periculoso animæ scopulo dehortantia, adducam. Ultimo Pharmaca, quibus Calumnia spiculis ictus erigatur, cum succincta ad veritatem amplectendam παραίνεσι, adferam.

Calumnia igitur, ut eam Lucianus in oratione περί διαβολῆς definit, ὅτι κατηγορία τις ἐξ ἑρκμίας γιγνομένη, τὸν κατηγορούμενον λεληθῆα, ἐκ τοῦ μονομερῶς ἀναντιλέκτως πεπιστευμένη, hoc est, Calumnia est accusatio quedā e mentita odio, clam reo Calumniatori credita, delato non ad respondendum ac refellendum admissa. Hæc definitio ante omnia peruersissimam calumniæ naturā ita depingit, ut de ea perhibere cuius haud difficile sit: Quòd enim diabolum patrem & autorem habeat, ut vox græca διαβολῆ conuincit, luce meridiana

B

cla-

ORATIO

Cū efficiens. clarior est: August. dicit: Quis non videt calumniā
 mendacij sororem, fama & vitæ nostræ insidiantē, à
 diabolo esse? Vt autē ille in veritate nō stetit, quem-
 Ioh. 8. admodum Christus de eo pronunciat: ita neque ve-
 ritati patrocinium prestat, sed vana mendacia se-
 rere, & dolosis suis imposturis mortales inescare
 enixè laborat. Protoplastorum nostrorum animum
 insidiosè à Deo abalienavit & abstraxit, deque vo-
 luntate eius falsas opiniones ipsis instillavit, ut,
 Dei posthabito decreto, sceleratis eius technis locum
Satanæ opus dederint: ita adhuc tristia mendacia, vanas suspi-
 ciones de innocentibus spargere, vitæ & fama eorū
 insidiari, pia pectora Cimmerijs tenebris & errori-
 bus inextricabilibus involuere non desinit, sed omni
 hora momento cum fœtu suo scelestissimo, Calumnia
 nempe, in optimos quosq; de Ecclesia Christi & Re-
 pub. benemeritos crudeliter debacchatur, eosque in
 extremum discrimen deductos internecioni dare
 conatur. Simili modo hoc nostro exulceratissimo se-
 culo, proh dolor! integros quosque, & ab omni turpi-
 tudinis labe animum auersum habentes, in inuidi-
 am & asperissimum odium rapit, ut verè Socrates
 Apud Pla dixert: Non Melitus, neque Anytus me peri-
 ment,

ment, sed multorum calumnia & inuidia, qua mul-
 tos alios quoque peremit haecenus, & ut arbitror, ^{tonem in}
 perimet. Sed quid dicam? Nullus est adeo inculpa- ^{Apolo-}
 ta vita in tota rerum universitate, quem non ali- ^{gia.}
 cuius criminis insimulet. Nam calumniator, qui al-
 terius vitam & prosperam fortuna flatum indignè
 fert, mendacium, periurium & obtestationem in procin-
 ctu habet, summamque miris modis animum & orationem
 torquere, & ad audientium ingenium accommodare
 nouit, ut quaecunque temerarie & subdole de alio
 profert, sincera proficisci mente credantur. Et quã-
 uis obtrectandi materia non succurrit: mentem ta-
 men bonam, mali nihil meritam, sibi odiosam ob-
 strigilare & Theonino dente carpere non veretur.
 Et ut Bernhardus ait, Si pauper es, vilem & abie-
 ctum: Si diues, ambitiosum: si eloquens, rabu-
 lam: si taciturnus piscem: si ieiunas, hypocritam:
 si comedis, lurconem: si sedulo officium facis, osten-
 tatorem & popularis aure cupidum: si vel in
 minima ab eo religione dissentis, hereticum, schi-
 smaticum, impium & blasphemum te crimina-
 tur. Atque ita Calumniator serpentum naturam
 representat: Vt enim serpentes mellea ingesta in

*Calumnias
 suis ingenium*

ORATIO

lethale virus commutant: ita Calumniator quæ
 laude digna sunt vellicare & denobilitare solitus
 est, ut falsa & plausibili criminatione absenti o-
 dium & inuidiam conflare valeat. In quam sen-
 tentiam sic Cleanthes ait: Nihil ferè tam est ma-
 lignum quàm Calumnia: hac enim ubi clam ali-
 quem à se persuasum decepit, odium excitat ad-
 uersus eum, qui nihil meritus est. Capnio calu-
 mniatoris animum declaraturus, dicere solitus
 erat, eos, qui temerè omnes reprehendunt, & ver-
 borum acerbitate insectantur, similes esse muscis,
 quæ omnia contaminant & nihil prosunt. Silentio
 non inuoluendum, quomodo simulatum calumnia-
 toris animū Bernhardus fucatis suis coloribus de-
 pingit: Calumniatores, inquit, conceptam maliti-
 am quodam simulata verecundia fuce, quem reti-
 nere non possunt, adumbrare conantur: Videas à
 calumniatore alta suspiria præmitti, sicq; cum qua-
 dam gravitate & tarditate, vultu mœsto, demissis
 supercilijs, & voce plangenti egredi maledictio-
 nem, & quidem tantò plausibiliorem, quantò cre-
 ditur ab his, qui audiunt, corde non inuido, sed
 condolenti magis affectu, quàm malitiosè proferri:

Do-

Doleo, inquit, pro eo vehementer: quòd eum satis diligo, & nunquam potui hac de re corrigere eum: Et aliàs bene mihi compertum fuit de eo illud, sed per me nunquam innotuit: ac quoniam per alium patefacta res est, veritatem negare non possum, reuera ita est. Nò ergo immeritò David calumniatoris linguam flammis, sagittis, gladijs comparat, inquit: Filii hominum, dentes eorum arma, sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Quod etiam Thearidas Lacon festivo quodam responso innuit, cum gladium fortuitò cote acueret, rogatus à quopiam, num esset acutus: acutior, inquit, calumniatoris lingua est, significans, nihil peius excogitari aut nominari calumnia posse.

Quid proinde, quæso, Christiano homine indignius? quid exitiosius? quid denique maiori cum discrimine coniunctum est, quàm illud admirari & summo studio amplecti, quod in omnem turpitudinis labem, odium, reprehensionem, & extremum vitæ periculum hominem deducere valeat? Verùm cum multis præclarissimis donis præ ceteris animantibus solus homo polleat: quis sana mentis nobilif-

ORATIO.

simam illam Filii Dei IESU CHRISTI, qui ve-
 ritatis fons est, imaginem in calumniatoribus ex-
 tinctam & deletam esse, & crudelissimi eos rur-
 sum diaboli, calumnie patris, larvam tristissimam
 induisse non videt? Qui omni hora momento nil a-
 liud, quam innocentem proximum, satanae more,
 sugillare, & ei ignominiae labem aspergere conan-
 tur. Vbi autem ijs alios mordere non contingit, vita
 tristissima est, & mortem satius appetere, quam
 linguam à calumnijs cohibere iudicant. At si quem
 fortè, spretis pestiferis eorum nugis, pie vitam tradu-
 cere volentem conspexerint: eum virulenta lingua
 impetere, sibilisq; conscindere haud desinunt. Sed
 dolenda est tanta in huiusmodi hominibus mentis
 caligo, tam peruersum ingenium, tam praepostera
 rerum aliarum cura, ut neglecto & fastidito Dei
 decreto, diabolum, Dei & omnium piorum hostem
 infensissimum, sectentur, ipsi morem gerant, &
 eius nugamenta colant, & venerentur: huc studia,
 conatus, cogitationes denique referant omnes. Quid
 quaso de huiusmodi satanae simijs statuendum est?
 Quid suo calumniandi studio lucrantur, quam iram
 Dei, piorum hominum odium, & tandem aeternas
 poenas?

Calumniator
 punitur.

poenas? Certò sibi persuadeat Calumniator, Deum aliquando linguae intemperantiam grauitè vindicaturum, Et quamuis apud se ad tempus rideat, gaudioque tanquam in re bene gesta subsultet: in horribilem tamen iram Dei, iustumq; iudicium incurret. Ecclesiastes dicit, pessimam deuotionem Cap. 5. super bilinguem, Et odium, inimicitiam Et contumeliam super susurratorem Et in prouerbijis dicitur Cap. 24. abominationem hominum detractorem esse.

De teterrimo idcirco hoc vitio Luciani uenustissimum libellum, *περὶ μὴ γὰρ ἰωε τῆ διαβολῆ πισεύαρ*, omnes ueritatis studiosi legant, in quo de Apelle apud Ptolemaum regem delato, Et quo pacto idem calumniam uultus sit, agitur, cuius etiam actus argumentum strictim hic attingere haud inconueniens duxi.

Apelles, Ephesus pictor celeberrimus, apud Ptolemaum regem, coniurationis, quae in Tyro, autore Hist. Theodota, facta erat ex calumnijs Antiphili, qui artis, gratiaq; Apelleae amulus erat, reus esse in simulabatur, aut orque defectionis Pclusij. Rex non animaduertens, Calumniatorem Apelleae artis amulum esse, supra modum excanduit, Apellē ingratum,

tum, perfidum, violat & maiestatis reum, insidiatorum coniuuratum clamat: Ac nisi quispiam è socijs coniuurationis, qui capti tenebantur, & audax Antiphili scelus stomachatus, & infelicis Apellis misertus: nihil ei commune cum seditiosis fuisse, probasset, procul dubio Tyrriorum malorum pœnam, capite mulctatus soluisset, etiamsi nihil sibi malè conscius. Ptolemaus igitur, collecto animo, sententiam mutauit, Apellem talentis centum donauit, addito in seruitutem Antiphilo calumniatore. Apelles verò, in periculi memoriam, tali est imagine atque pictura calumniarum vltus: Ad dextram cõsudet quispiam, auribus pralongis insignis, quales Mida feruntur, manum porrigit procul accedenti calumnia: circumstant eum muliercula duæ Ignorantia & Suspicio. Accedit aliunde admodum bella mulier, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem & iram, astuanti pectore conceptam, præseferens, sinistra facem tenens flammiumam, dextra iuuenem, capillis prehensum, in cœlos suspicientem, deosque sua innocentia testes inuocantem, rapit. Hanc vir pallidus acie oculorum minimè hebeti, ceterum planè ijs similis, qui fontico aliquo morbo

con-

*Calumniarum
vultus
pictura*

contabuerunt, anteit. Pedisseque verò INSIDIAE
 & fraus, quarum munus est dominam hortari, in-
 struere, comere, sequuntur: A tergo lugubri habitu,
 pullata, lacerataq; pœnitentia subsequitur, quæ capi-
 te, in tergum deflexo, cum lachrymis ac pudore procul
 venientem veritatem excipit.

Ex hac periculi Apellis commemoratione, calu-
 mniæq; deliniatione quilibet, velut in speculo, peruer-
 sam calumniæ naturam & tristissimum effectum a-
 nimaduvertere & assequi potest, quæ non solum alijs
 officit & fraudi est, sed etiam ipsi, à quo profecta, pe-
 riculum saepe faceßit, & summam calamitatem im-
 portat, ut Diuus Hieronymus ait: Sicut sagitta, si
 mittatur contra duram materiam, nonnunquam in
 mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem:
 ita Calumniatoris lingua saepe periculum, quod alte-
 ri parat, in proprium conuertit caput. Hoc peruer-
 sum autem & impium propositum, alterius nempe
 famam & existimationem turpi labe inficere, quam
 plurimi non modo habent, sed etiam assentationis ar-
 tificio, nulla veritatis & virtutis habita ratione, ad
 aliorum ingenium, voluntatem, nutus, simulato amo-
 re & gratificandi studio orationem accommodant,
 pleno ore illos, sed falso plerunque, laudibus ad astra

C eue-

euehentes; aliud in sermone, moribus & gestibus præ
 se ferentes, quàm in animo reconditum gerunt. Vt
 Gnato ille Terentianus, qui ventris & commodi sui
 gratia Thrasoni se applicans, singula eius facta &
 dicta, quamuis à virtute aliena, admiratur & præ-
 dicat. De his Antisthenes ait, satius esse in coruos,
 quàm in adultores incidere: illi enim mortui corpus,
 hi verò viventis animũ corrumpunt. Et Phavorinus
 dicit: Quemadmodũ Aëtæon à suis canibus laceratus
 est, ita adultores eos, à quibus cibantur, pessundant.
 Lib. 8. Curtius inquit: Regũ opes sæpius assentatio, quàm ho-
 Pfal. 69 stis euertit. Et August. Duo sunt genera persecutorũ,
 vituperantium scilicet & adulantium: sed plus per-
 sequitur lingua adulatoris, quàm manus persequen-
 tis. Hæ enim adulationes, nostra hac tempestate in
 maligno posita, nimis vsitata & crebra sunt, & præ-
 sertim in Regum, Magnatum, aliorumq; magnæ au-
 toritatis virorũ adibus, quorũ animũ Syreneis suis
 blanditijs, & dolosis palpitationibus ita demulcere
 & flectere norunt, ut quicquid velint, impetrent. Sed
 gnauiter sibi quisq; ab hac hominum fece caueat, ser-
 mones quoque assentatorios auersetur, operamque
 det, ut cordi & cerebro lingua, quibus à Deo con-
 iuncta est, congruat, quod Christus precipit, dicens:

Sis

Sit sermo vester *Est, Est: Non, Non.* De simulato Matth. 5.

et fucoso animo gravissima simul et notatu dignissima Achyllis ad Ulysssem apud Homer. *Iliad. 1.* Iliad. 1.

extat responsio:

ἔχθρος γὰρ μοὶ κενὸν ὁμῶς αἰδᾶο πύλητιν,
ὅς κ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δ' ἐβάζει:

Quae ita latine reddita est:

Odi etenim, ceu claustra Erebi, quicumque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore claudunt.

Bias septem sapientum unus, interrogatus, Bias.
quod animal omnium pessimum, respondit: Inter im-
mitia est Tyrannus; inter mitia vero Adulator.
Sapientissima sane responsio est: Tyrannus enim om-
nes bestias feras immanitate vincit, siquidem ad
violentiam et crudelitatem multos ministros et
longas manus habet. Adulator vero omnes man-
suetas bestias suis technis et insidijs superat. Re-
cte itaque Solon principis alicuius seruo in manda- Solon.
tis dedisse fertur, ut principi suo consuleret, ne dul-
ciora, sed optima consilia sequeretur. Et Salomō ait: Prou. 28.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud
eum magis, quam ille, qui per lingua blandimen-
ta decipit. Porro duo praesertim perhibentur

C 2 esse

ORATIO

esse, quæ sermoni nostro ornatum addere, & benivolentiam conciliare solent, Gratia nempe & Opportunitas. Gratia κασις facit, ut non temerè quicquid in buccam venerit, aut quicquid nobis secretò concreditū fuerit, effutiamus, neq; insolenter in aliquem virulenta lingua spicula vibremus: sed vera, pia, & necessaria loquamur: obscæna, leuia, scurrilia, obtrectationes, quæ in virum bonum minimè cadunt, fugiamus, & ut tantus in nobis sit veritatis & candoris ardor, ut quicquid dixerimus, iuratum putemus. Opportunitas verò siue καρὸς facit, ut tempestiuè in verba erumpamus, quod Sirac. docet: Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tua caussa vix cum necesse fuerit: Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum, in multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In mediomagnatū non loqui præsumas, & ubi sunt senes, non multum. Isocrates: Ad De. Δύο ποῖδ' καρὸς τῷ λέγειν, ἢ πρὸς ὁδοῦ σαφῶς, ἢ πρὸς ὄμ' ἀναγκοῦν εἰπεῖν: ἢ πρὸς ἄλλοις ἀμεινοσιγᾶν, ἢ λέγειν. h. e. duas fac loquendi opportunitates, aut de ijs, quæ bene nosti, aut de quibus necesse est dicere: in alienis melius est tacere, quàm loqui. Et Euripides ἢ σιγᾶ, ἢ λέγει τι τῆς σιγῆς κρείττον. Plutarch. inquit: Magnæ sapientiæ est tempestiuum silen-

Cap. 23.

Ad De.

monici.

37

"

"

silen-

silentium, & omni sermone prestantius. Et Simoni-
des dicere solitus fuit, nunquam se poenituisse, quod
tacuisset, sed saepe quod esset locutus. Sapiens etiam
est praeceptum Demetrii Phalerai apud Stobaeum: Ob-
signa verba tua silentio, silentium autem occasione.
Seneca: Auribus frequentius, quam lingua utere.

In lib. de
moribus

Sed quid ad dictum vulgare: Calumniare auda-
cter, semper aliquid haeret, quod apud Plutarchum
extat, respondebimus? Medius, qui chori adulatorum
penes Alexandrum Magnum velut princeps & prae-
ceptor fuit, audacter alios calumnijs vexare & mor-
dere iussit, docens, quod etiamsi hylcus sanatum fue-
rit, cicatrix tamen calumniae maneat. O impiissima
& homine indigna consultatio, quam vere a nefario
calumniae parente diabolo hausit. Sunt enim non mo-
do illustra doctissimorum virorum testimonia, ve-
rum etiam sacra Scriptura, orthodoxae Ecclesiae, san-
ctissimorum patrum firmissima, maximeque solida di-
cta, vni medio repugnantia, ut si in unum omnia a-
liquis colligere vellet, charta citius, quam sententia
deficerent, quorum tamen aliqua, maximeque celebra
recensebimus. In libro Levit. scriptum est: Non fa-
cies calumniam proximo tuo. Et in eod. Non men-
tiemini, nec decipiat unusquisque proximum suum,

In libel-
lo de
discri-
mine a-
mici &
assenta-
toris.

Cap. 10.

Cap. 19.

Cap. 16. non eris calumniator, nec susurro in populo. Sira-
 cides inquit: A tribus timuit cor meum, & à quar-
 to facies mea metuit: delatorem civitatis, colle-
 ctionem populi, & calumniam mendacem. Lu-
 cas: Neminem conculcatis, neque calumniam
 Eph. c. 3. faciatis. Divus Paulus: Deposito mendacio, loqui-
 mini veritatem, quisq; cum proximo suo, quoniam
 Cap. 4. inuicem membra sumus. Divus Iacobus: Nolite de-
 trahere alterutrum, fratres mei: qui detrahit fratri,
 aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat le-
 gem. Et Divus Hieronymus inquit: Nulli, inquam,
 omnino detrahas, & si aliorum vituperatione lau-
 dabilis videri velis, magis tuam ornare vitam
 discere, quam aliorum carpere. Ac semper memor esto
 Scripturae dicentis: Noli diligere, detrahere, ne era-
 diceris. Pauci enim sunt, qui huic vitio renunciant.
 Nec nobis sanioris Philosophiae sententia, ab hac pe-
 riculosissima Charybde omnes pios dehortantes, de-
 sunt, quae etiam eum, qui faciles criminibus aures
 praebet, non minorem mereri culpam, quam qui talia
 spargit, asserunt. Nam, Isidoro teste, non solum ille
 reus est, qui falsum de alio profert, sed & is, qui ci-
 tò criminibus aurem offert. Oportet enim omnes pios
 tam candidos esse, & minimè suspiciosos, ut nō liben-
 ter

ter de aliquo malè loquantur, nec alios malè loquen-^{de legib.}
tes audiant. Et huc pertinet, quod Plato præcipit: Id ^{lib. 5.}
unum præcipuè omnes eniti oportet, ne unquam fu-
cati, aut insynceri erga aliquem esse videantur, sed
ut semper simplices ac veraces. Et Thucydides: Non
decet calumnias neq; alijs narrare, neque audiendo
suscipere. Quantum ergo scelus utrumq; sit & calu-
mniari, & calumnijs locum dare, non tam ex addu-
ctis dictis & sententijs, quàm ex sequentibus perspi-
cium sit. Deus in lege sua proximi dilectionem nõ si-
mulatã sed quæ à puro & sincero corde proficiscatur,
præcipit: Dilige, inquit, proximum tuum, perinde ^{Leu. 19^o}
atq; te ipsum. Et Divus Iohannes in priori sua epi- ^{Mat. 22^o}
stola docet, Deum summum veri amoris incendium ^{1. Ioh. 4^o}
esse, nõsque non fucoso amore, sed paterno complecti,
& in nobis per Spiritum S. suavissimas amoris flam-
mas erga ipsum & proximum accendere. Qui igi-
tur hos amoris astus, invidia, mendacio, calumnia,
aut alijs gravibus delictis non extinguit, sed fideli-
ter in cordis capsula fouet, is Dei domicilium factus
est, in ipso manet, & habitat Deus cum omnibus suis
donis, quibus eum cohonestat, ipso delectatur, ei adest,
inq; illo sanctissimum dilectionis calorem perpetuò
conseruat. Econtrario invidi, mendaces, calumnia-
tores

Sap. 4. *tores proximum odio habentes, vitæ, famæ & fortunæ eius insidiantes, in diabolo, quæ imitantur, manent, & ipse in ijs, ita ut ipsos rectius diabolos, quàm homines nuncupare possis.*

Propterea omnibus pijs summè necessarium est, ut ab hoc inferni scopulo, in quem facile impingere possunt, vitæ suæ cursum declinent, exempla piorum sibi potius imitanda proponant, quàm blateronum, & nullius frugi hominum, qui, quicquid in buccam venerit, effutire, vel quicquid fortuito ab alijs Syco-phantis acceperint, credere, & ad proximi infamiam transferre, nulla Christianæ charitatis habita ratione, non verentur. Et inter alia sanctissimi regis Davidis exemplum respiciant, qui suum de calumniatoribus iudiciû omnibus gubernatoribus commendat, inquit: Detrahentè secretò proximo suo, hunc perdam. Calumniam enim noxium quoddam diaboli venenum, quo Christi Ecclesia coinquinatur, Regum animi ad furoris fulmina provocantur & exacerbantur, & familiæ labefactantur & pessum eunt, novit David. Omni etiam laude dignum est factû Ionathæ, filij Saulis, impium statuentis insontem calumniis proscindere, quare non sine summo periculo Davidem apud patrem suum in illius necem intensissimè

Psal. 10.

1. Reg. 20

sissimum, & cedis socios undique conquirentem ex-
 cusat: & Alexandri Magni, qui cum Medicus
 Philippus nomine familiariter ipsi iunctus, à Da-
 rio corruptus esse diceretur, ut Alexandrum toxico
 tolleret, nec sibi insidias ab eo strui credidit, nec
 postea diffidere voluit. Non minorem laudem Sigis-
 mundi Imperatoris factum meretur: qui adulatori
 cuidam supra modum ipsum in os laudanti, dijsq;
 similem esse affirmanti, a lapam impegit, exclama-
 vit adulator: cur me cedis Imperator? Respondit
 Sigismundus: cur me mordes, Adulator?

Si hæc & similia exempla quilibet gubernator
 sequi, quantaque malorum seges ex obtrectatorum
 sycophantijs & calumnijs succrescere soleat, perpē-
 dere vellet, ijs non tam faciles aures praberet. Haud
 rarò accidit, ut γλωσσολογοί & κομποφακελοῦρημονες opti-
 mis quibusque viris & iuuenibus, quorum virtutes
 nec imitari, nec amulari possunt suis sycophantijs
 apud Reges, Principes, Magnates & presules exiti-
 um machinentur pessimum, eorumque animos ita
 effascinent, ut furiales pestes summo complectantur
 favore, beneficijsq; prosequantur maximis: Contra

D

eos,

eos, qui suis consilijs optimis, synceris officijs, indefesso studio & feruida solertia toti patriæ consulunt, exterminent, bonis & dignitate spolient, & eis nullas auxiliares manus porrigant. Quod Belisario Duci, optimè quidem de Iustiniano Imperatore merito, accidisse legimus. Itaque quicumque Magistratus sibi & subditis suis bene consultum cupit, is presentissimam pestem calumniatores & adulatores fugiat, & ab hac improborum hominum fece tum familiam, tum Rempub. quo poterit studio & labore, repurget. Apollonius rogatus à Rege Babylonia, qua ratione imperio quieto frui posset? respondit: Si paucis credideris. Voluit autem significare, nihil in administrando regno deterius esse, quàm calumniatoribus faciles aures præbere. Diuus Augustinus, maledicam delatorum linguam summoperè exosus, mensæ suæ hoc distichon inscripsisse fertur:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Hactenus quàm potui breuissimè ostendi, quod, quantum, quale malum sit calumnia, quàm Deo detestabilis & inuisa sit, quàmque homini Christiana-

stiano pernicioſa & indigna, adeò ut eum Timorẽ
 & verè *μισοειδωπον* dixerim, qui huic patrocinari ve-
 lit. Verùm cum boni & præſtantis Medici ſit, non
 modò vulnus reſecare, ſed & *ἵπια φάρμακα εἶχῆρ* (ut cõ
 Homero loquar) ita neq; meo, mihi me perfuncturũ
 officio ſatis videor, qui hætenus commune malum
 vulnus, quaſi refricando ſuccinctè oſtenderim, niſi
 quòd & tanto malo facile mederi poterit, conueni-
 ens medicamentum ſimili breuitate oſtenderim.
 Verùm graua ſunt fama vulnera, quam diligen-
 ter quemque, ut monet Auguſtinus, cuſtodire, & à
 maledicorum morſibus vindicare oportet, ni & in
 ſe, & in poſteros iniurius eſſe velit. Eccleſiaſt. Cap. 41.
 dicit: Curam habe de nomine bono, quia magis per-
 manet, quàm mille theſauri pretioſi & magni, &
 bona vitæ & numerus dierum: bonum autem nomen
 in æternum permanet. Et Liuius fama & fidei lib. 3.
Decad. 1.
 maiora damna affirmat eſſe, quàm ut eſtimari poſ-
 ſunt. Idcirco præſentiſſimo aliquo pharmaco hoc ma-
 lum propulſandũ & leuandũ eſt. Quis non animo
 ringitur, qui cum ſit ſibi recti conſcius, nil tamẽ præ-
 ter calumniã & diram maledicentiam reportat. Sed
 cui tale acciderit, ante omnia conſcientiæ teſtimonio

or. 1. dolorem suum leniat cum Paulo dicente: Hæc est
 gloriatio nostra, testimonium conscientie nostræ.
 Hoc conscientie testimonium ad animos piorum
 confortandos & erigendos, plus quàm Zoilorum
 & Sycophantarum calumnia ad deiiciendos vale-
 re debet. Deinceps in memoriam piorum ex-
 empla, calumnia spiculis ictorum, reuocet, qui et-
 iam si de ingrato mundo optimè meriti sunt, pes-
 simam tamen gratiam reportarunt, ut Prophe-
 tarum, CHRISTI, Apostolorum, qui tanquam
 περιφύματα & καθάρματα condemnata habebantur: de-
 nique & aliorum piorum virulenta lingua op-
 pressorum, ut Iosephi, falsò ab impia Potipha-
 ris uxore, quòd turpissima petitioni eius reclamã-
 rit, delati: Mephiboseti à seruo suo scelesto Siba
 Dan. 12, apud Davidem accusati: Susanna, Danielis,
 Dan. 6. Nabothi iniuste ab Achabo Rege Samaria, quòd
 3. Reg. 21. vineam suam ei concedere noluerit, è medio sub-
 lati. Item, Palamedis calumnia Vlyssis lapidibus
 Apud obruti, Socratis, Aristidis, Themistoclis, &c. quo-
 Homer. rum necis historias hic commemorare tediousum fo-
 Et Ouid. ret.

Cum

Cum ergo infensissimi nostri hostis Diaboli lethiferis telis in hac vita semper expositi simus, tantaque nostra natura infirmitas sit, ut sine Dei & Angelorum presidio nequaquam ea evitare valeamus: à Deo patientiam & constantiam expetamus, contra Diabolum & impuros homines. Quis non videt, quam directè Satan sua tela iaculetur in Calumniatores, cum propter dolosam & venenatam linguam, Dei et angelorum ope destituantur. Novit enim rectè, castissimū Dei Spiritum tam fœtido atque squalido minimè hospitio gaudere, illasque tenuissimas arbitrij humani vires, post peccatum in homine relictas, ad præstanda virtutum officia in hac mortali vita ultrò esse prostratas. Quare nec ille occasionem tam ostentatam, tam commodam, tamque optatam negligit, verùm præstò est, hominem ad varia crimina, prout eius naturam, ad hæc vel illa pronam, maximeque proclivem senserit, incitans atque inflammans. Omnibus etiam pijs consultissimum esse duco, ut præ oculis non solum quasi depicta Calumnia tristissima effecta, sed etiam horrendas pœnas quibus eius Sectatores affliguntur, habeant. *καλινωρ σωματωρ, teste Euripide, τὸ τέλος δυσουχία.* Et He-

rodotus ait, τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ τιμωρίαι
 παρὰ τῶν θεῶν, h. e. Deus magna scelera magnis pœnis
 punit. Cuiusmodi multa dicta in historijs et po-
 ematis verbo Dei haud dissona inuenias. Salomon
 dicit: Qui inconsideratus est ad loquendum, sen-
 tiet mala. Et alibi dicit: Time Dominum, fili mi,
 et regem, et cum detractoribus ne commiscearis,
 quoniam repente consurget perditio eius. Siraci-
 des: Obtrectator polluit animam suã, et vicissim
 afficietur ignominia. CHRISTVS IESVS Sal-
 uator noster Diabolum mendacij patrem appellat,
 cuius filij Calumniatores mendacium exosculan-
 tes ab Ambrosio perhibentur. Infernus autẽ diabo-
 li hereditas, quare et calumniatores iure heredi-
 tario eius loci sibi partem vendicare possunt, si-
 quidem filijs patris hereditas debetur. Exempla
 præterea punitæ Calumniæ passim in sacris et pro-
 phanis literis obuia sunt, ut hic ea resumere nõ ne-
 cessariũ iudicẽ. De Amone, Mardochei vitæ et for-
 tunis insidias struente, legatur historia Esther, qui
 tandẽ in eodẽ patibulo suspensus est, quod Mardo-
 cheo erigi curauit. De pœna duorum seniorum, pu-
 dicitiam Susannæ expugnare conantium, eamque
 fru-

Prou.
 17. cap.

Ioh. 8.

Dan. 13.

DE CALUMNIA.

frustrata fortuna Calumnijs opprimere volentium,
 cognoscatur Propheta Daniel. De Satraparum
 Calumnijs, Danieli Propheta fraudulenter mor-
 tem apud Regem Darium molientium, deq³ pœnis
 ijs irrogatis idem euoluatur. Persæ tanto verita-
 tis zelo flagrârunt, quòd ter in mendacio depre-
 henso silentium perpetuum imposuerint, & ab o-
 mnibus politicis & honestis negotijs talem planè
 exploserunt & repudiârunt. Inq³ liberorum suo-
 rum educatione ijdem hoc imprimis obseruari vo-
 luerunt, ut veritati assuescerent, & à mendacio
 linguam temperare discerent. Artaxerxes, eius-
 dem populi Rex, tanto odio mendaces & calumni-
 atores persecutus est, ut trisulco clauo calumnian-
 tium linguas transfodi, paloq³ affigi curârit. Plu-
 ra malè mulctata calumnie exempla in historijs
 obseruantur. Si enim, quanta sit malorum seges
 Calumnia, quamq³ tragicum exitum habeat, quisq³
 huic indulgens vitio diligenti cogitatione comple-
 eti, atq³ perpulchrum illud Nazianzeni dictum:
 Talis esto erga amicos & proximos, quales erga te
 illos esse vis, in animum reuocare vellet: in obtre-
 ctando nō tam facilis, promptus & præceps esset, sed
 illam cane & angue peiorē vitaret: Sed nescio quo
 fato

fato hi ἀνεπίληπτοι ἐπανόρθωται ducuntur, in aliorum li-
 mandis & euentilandis nauis Argo oculatiores
 sunt, in propriis autem vel Leberide caciores. An-
 non igitur felices reputandi, qui ab hoc pestifero
 vitio linguam suam cohibere norunt? illi verò in-
 felices & stulti, qui seipsos, nulla urgente necessita-
 te, tristissimo periculo obijciunt, quo peruerso studio
 non modò in seuerissimum Dei iudicium incurrunt,
 verum etiam omnibus prestantissimis donis, quibus
 homo praeceteris creaturis pollet, ita futili & vi-
 rulenta lingua se exuunt, ut planè in ijs ea oblite-
 rata & extincta videantur. Cogitate, in homi-
 ne omnia tam conuenienti, maximeq; decenti
 modo & ordine à summo illo omnium rerum con-
 ditore atq; opifice Deo disposita esse, ut κίερος di-
 catur κίερος: hanc igitur pulcherrimam harmoni-
 am execrabili illo Calumniae vitio dissoluere caue-
 amus. Moueant nos cum Philosophorum, tum
 Christi, sanctissimorumq; patrum grauisima di-
 cta & comminationes horrenda, ut veritatem, o-
 mnium bonorum fontem, ut Plato eam appellat,
 exosculemur, calumniam verò cum suis affectis
 & sororibus, omnium malorum sentinam, asper-
 nemur

nemur & fugiamus. Fingamus veritatem laceratis præ dolore capillis stantem, ora, vultumq; lachrymis commaculantem, sinum guttis explentem, non absq; singultibus imis nos ad se vocantē. Huius lachrymis potiùs obtemperemus, quæ nihil non tentat, ut quàm fieri poterit diutissimè in suo decore & honore homo persistat: nobilissima huius, inquam, nos verè moueant lachrymæ potiùs, quàm nefanda istius bestia, Calumnia scilicet, doli fucati, quæ non modò dignitati, famæ, opibus insidiari satis iudicat, nisi & totum hominem prorsus euerterit & pessum dederit. Sunt profectò huius pestiferi vitij tot doli atq; technæ callidissima, quibus hominibus sua porrigit venena, ut quò plures recensuerim, eò plures mihi restare videantur. Verùm ne vestris dignitatibus hac mea ieiuna oratiùcula negotium faceffam, aut nauseam moueam, libenter hic vela contraho, quàm possum suppliciter ac demissè rogans, ut quæ hætenus de rebus tam serijs, ut potui, non ut volui, aut oportuit, balbutiui, bono, æquoq; animo suscipere, ac interpretari ne dedignemini.

DIXI.

E

Epi-

Epigramma

IN ORATIONEM DE CALUMNIA



Vlta suo lædit damnata calumnia
morsu,
Exprimere in vita quæ tamen i-
psa nequit.
Sanctiùs ergo facit, longéque beatior
ille est,

Pectore qui causas candidiore probat.
Quisque suos patitur manes, qui viuit in orbe,
Nec nisi post mortis tempora purus erit.
Hæc bene tu tractas, bene pingis, amice MAGISTER,
Vnde tibi magno surget honore decus.

*Wolfgangus Franzius, SS. Theolog. Licentiatus, &
pro tempore Collegij Philosophi-
ci Decanus.*

PARODIA

DE LINGVA,

Scripta

à

M. CAROLO GEORGIO BANGIO.

Mltos labe sua conspurcat Mundus iniquus,
Et lingua effrenis dira venena vomit.
Sic vt ad extremam labem nil fortè superfit,
Infami reddens secula nostra dolo.

Quippe

Quippe facit pugiles, versantes omnia fraude,
Lingua ut prostituant dona stupenda Dei:
Et Satan in fraudes, lites, periuria, linguam
Traducit, turbas atque ciere facit.
At cur libertas, tam fædo crimine leta,
O pietas! lingua tam scelerata viget.
Possè domare malam, sed cur rarissima virtus,
Linguam? seu laxa ponere frena graue?
Cum tamen & stringi proiectè pessimus, uni
Sape retractando se patiatur equus.
Atque graui pressam possimus pondere navim
Corripere ad nutum per sua vela vadis.
Punica fraus lingua sola eleuat omnia sursum,
Conuincens summis vera subinde dolis.
Ast veteris possum documenta arcessere fama,
Quam retulit pensum lingua dolosa malum.
Amanni capiti condictum crimen adhesit,
Quod sibi suggestit prodere lingua loquax:
Nam proprii sceleris damnata piacula sumsit
Constrictus laqueo colla tenella suo.
Ergo, tranquillam cupientes ducere vitam,
Perdiscant lingua apponere vincla sua.
Nasuti caueant semper mendacia vulgi,
Nec dubios fundant ore tremente sonos.
Virtutem augustam, qua dicta à pondere veri est,
Sequentur, vitæ & commoda magna ferant.
Assiduò magni tractent oracla Tonantis,
In celso capiant gaudia blanda polo.




EX 117 1462

X-2483041

ML





D.K. 352, 44.

ORATIO

DE PERVERSO CALVER

MULTIPLICITATIS VITIO, QUOD DELIRA
& effecta hac Mundi senectâ in omnes gene-
ris humani societates valde grassatur,

scripta

à

MAGISTRO CAROLO GEORGIO BAN-
gio, Dano.

Gregorius.

Est & alia miseria in humanis, summum, inquam, hoc malum,
CALVMNIA, quæ sapientum maximè animabus insidiatur, genero-
sam ac densam illam virtutum syluam extirpare molitur.



WITTEBERGAE
Excusa typis Simonis Grönenbergii

MAGISTRO DOMINO XCVI.

